

*De mensura, ab actione calorifica petenda.*

Vix magis quam physiologica ad mensuram utilis est actio calorifica galvanismi. Nam quamquam caloris, in conductore aliquo, circulum jungente, excitati gradus suam mensuram thermometro habeant, tamen hanc mensuram illico ad vim galvanicam ipsam referre eo vetamur, quod non jam constat, an simplex et directa, an alia quaedam ratio inter vim galvanicam et calorem, quem parit, intercedat. Hoc quidem dubium forsitan experimentis posteris aliquando tolli poterit; sed alia pertinacius obstabunt. Huc referendum, quod solummodo ex majori intensitate fluminis galvanici calor, instrumentis detegendus, prodeat, et quod variae causae refrigerantes semper tantum detrahant calori exorto, ut residuum ejus minime rationem legitimam ad fluminis galvanici intensitatem retinere queat. Sunt quidem, qui fili metallici longitudinem, per circulum quendam ad ignitionem perducendam, pro mensura directa intensitatis galvanicae ejus circuli habuerint, sed perperam. Nam per Ohmii theoriam, cui in reliquis experientia lucusque non contradixit, certum est, intensitatem galvanicam et longitudinem fili per eam ignescentis, non secundum eandem rationem procedere, nec conclusionem ab altera ad alteram fieri posse, nisi ante proportio longitudinis reductae fili (ut omni verbo utar) ad longitudinem reductam reliqui circuli cognita sit. Sed hanc cognoscere non solum multo operosius est, quam ad mensuram commodum, sed etiam jam aliam mensuram requirit. Itaque jure etiam actio calorifica a mensura galvanismi excluditur.

*De mensura, quam chemica actio exhibet.*

Ex chemicis actionibus decompositio conductorum fluidorum, quos flumen galvanicum percurrit, praeprimis aquae, mensurae occasionem offert, duplici quidem modo. Nam vel quantitates gasorum